


Sweertius

1264

SWEERTIUS



ANTVERPIÆ,
Apud Ioannem Baptiſtam Vrintium.
ANNO CIↃ.IↃ.CIII.

Cum gratia & Priuilegio.

R. DÑO D. AVBERTO MIRAEO
MARIANAE AEDIS
APVD ANTVERPIENSES CANONICO,
THEOLOGO, HISTORICO,
VIRO OPTIMO,

FRANCISCVS SVVEERTIVS F.
S. D.

SYRACVSANVS Archimedes, Eruditissime MIRÆE, iis tantùm Ingenii sui nobilissimos fœtus sacrare consuêrat, quos talium rerum cum primis peritos arbitraretur. Idem ego mihi in huius libelli dedicatione faciundum putaui: cùm enim annos aliquot illud ætatis nostræ lumen IVSTVM LIPSIVM de superiore loco, ore diserto & rotundo, SVETONIVM explicantem Louanij audieris, & ex ea lectione fructus non pœnitendos collegeris, cui quæso iure potiore XII. Orbis Romani Impp. quàm tibi, optime MIRÆE, consecrabo? Postulat hoc eruditio tua, candor animi, & studium in me tuum. Et licet paruum alicui meritò videri possit atq. exile quod molior, non dubito tamen, quin vbi istam tuam attigerit dextram sinceritate fideque præstantem, plurimum sit accepturum vel magnitudinis vel gratiæ. Vale. Antuerpiæ, ex nostro Museiolo. Ipso D. Augustini, quem vt patronum colis, & coluisti semper. An. CIϽ. IϽ. CII.

NATVS eſt CÆSAR Romæ C. Mario, L. Valerio Flacco COSS. ad IIII. Idus Quinctiles, qui menſis poſt eius mortem lege Antonia IVLIVS eſt ea de cauſa dictus. Fuiſſe traditur excelſa ſtatura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetiſque oculis, valetudine proſpera, niſi quòd tempore extremo repente animo linqui, atq. etiã per ſomnium exterreri ſolebat. Comitiali quoq. morbo bis inter res gerendas correptus eſt. Circa corporis curam moroſior, vt non ſolùm tonderetur diligenter, ac raderetur, ſed velleretur etiam. Caluitij verò deformitatem iniquiſsimè ferre, obtrectatorum ſæpè iocis obnoxiam expertus, ideoque & deficientem capillum reuocare à vertice aſſueuerat, & ex omnibus decretis ſibi à Senatu, populoq; honoribus non aliud aut recepit, aut vſurpauit libentius quàm ius laureæ coronæ perpetuò geſtandæ. Etiam cultu notabilem ferunt. vſum enim lato clauo ad manus fimbriato, nec vt vnquam aliter quàm ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura. Vnde emanaſſe Sullæ dictum, optimates ſæpiùs admonentis vt malè præcinctum puerum cauerent. Gemmas, toreumata, ſigna, tabulas operis antiqui ſemper animoſiſsimè cõparauit. Vini parciſsimum ne inimici quidem negauerũt. Verbum M. Catonis eſt, vnum ex omnibus Cæſarem ad euertendam remp. ſobrium acceſsiſſe. Eloquentia, militariq. re aut æquauit præſtantiſsimorum gloriã, aut exceſſit. Pronunciaſſe autem dicitur voce acuta, ardenti motu geſtuq., non ſine venuſtate. Reliquit rerum ſuarũ Commentarios, Gallici, ciuiliſque belli Pompeiani. Reliquit & de analogia lib. II. & Anticatones totidem, ac præterea poëma quod inſcribitur Iter. Feruntur & à puero, & ab adoleſcentulo quædam ſcripta, vt Laudes Herculis, Tragoedia Oedipi, item Dicta collectanea. Dictator in perpetuũ factus à Senatu, in Curia, Caſsio & Bruto cædis auctoribus, III. & XX vulneribus occiſus eſt, vno modò ad primum ictum gemitu ſine voce edito. cuius corpore pro roſtris poſito, Sol orbem ſuum celaſſe dicitur. Periit VI. & L. ætatis anno, Imperij V. relatusque in Deorum numerum.

IOANNES BOCHIVS S. P. Q. A. à Secretis.

Cæſar, ad imperium ciuili ſanguine partum
Veniſti, famulaſq; manus fortuna tetendit
Ipſa tibi, ceſsit tellus, & iuſsibus æquor
Paruit omne tuis, verùm inuidioſa poteſtas,
Et ſuſpectus honos, adimunt ciuilibus armis
Imperium, vitamq; tibi, formidine regni.

SATIVS EST SEMEL MORI, QVAM ASSIDVA SPE ET EXPECTATIONE VITAM PERDERE.



M. Tullio Cicerone, & Antonio COSS. IX. Kal. Octobris, paullo ante Solis exortum, natus est AVGVSTVS. Forma fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venustissima, quanquã & omnis lenocinii negligens, & in capite comẽdo tam incuriosus, vt raptim compluribus simul tonsoribus operã daret, ac modò tonderet, modò raderet barbã, eoq. ipso tempore aut legeret aliquid, aut etiam scriberet. Oculos habuit claros ac nitidos, quibus etiã existimari volebat inesse quiddã diuini vigoris, gaudebatq. siquis sibi acriùs cõtuenti quasi ad fulgorẽ Solis vultus submitteret. Sed in senecta sinistro minùs vidit. Dentes raros & exiguos, & scabros, capillum leuiter inflexũ, & subflauum, supercilia coniuncta, mediocres aures, nasum & à summo eminentiorẽ, & ab imo deductiorem, colorem inter aquilũ candidumq;, staturam breuẽ. Graues & periculosas valetudines per omnẽ vitam aliquot expertus est. Sub natalẽ suũ plerumq. lãguebat, & initio veris præcordiorũ inflatione tentabatur, Austrinis autem tempestatibus, grauedine. Eloquentiã, studiaq; liberalia ab ætate prima cupidè & laboriosissimè exercuit. Mutinensi bello, in tanta mole rerũ, & legisse & scripsisse, & declamasse quotidie traditur. Pronũciabat dulci & proprio quodã oris sono. Multa varij generis prosa orationecomposuit, vt sunt Hortationes ad Philosophiam, & aliqua de vita sua XXX. libris. Poëticã summatim attigit. Vnus liber exstat scriptus ab eo Hexametris versibus, cuius & argumentũ & titulus est, Sicilia. Exstat alter æquè modicus Epigrãmatum, quæ ferè tẽpore balnei meditabatur. Nã Tragoediã magno impetu exorsus, nõ succedẽte stylo, aboleuit, quærentibusq. amicis quidnã Aiax ageret, respõdit Aiacẽ suum in spõgiam incubuisse. Genus eloquẽdi secutus est elegans & temperatum. Orthographiam à Grãmaticis institutã, non adeò custodiit, secutus eorum opinionem, qui perinde scribendũ ac loquendũ existimant. Ne Græcarũ quidem disciplinarũ leuiore studio tenebatur, magistro dicẽdi vsus Apollodoro Pergameno. Ingenia seculi sui omnibus modis fouit. Obiit Nolę in cubiculo eodem quo pater Octauius, duob. Sextis, Põpeio, & Appuleio COSS. XIIII. Kal. Septembris, hora diei nona, LXX. & VI. ætatis anno, dieb. v. & XXX. minus. Imperij. LVI.

IOANNES BOCHIVS S. P. Q. A. à Secretis.

Solus habes aquila coruos laniante, Triumuir,
Imperium, victusq; tuis Antonius armis
Leucadio & Regina freto, Ianumq;. bifrontem
Clausisti, ac toti cùm feceris otia mundo,
Téque audes conferre Deo, te Liuia fortis
Dicitur humana misto admouisse veneno.

ROMAM LATERICIAM ACCEPI, MARMOREAM RELINQVO.



TIBERIVS natus est Romæ in Palatio XVI. Kalendas Decemb. M. Aemilio Lepido iterũ, & Munatio Planco Coss. post bellũ Philippense. Corpore fuit amplo atq; robusto, statura quæ iustam excederet, latus ab humeris & pectore, ceteris quoq; mẽbris vsque ad imos pedes æqualis & congruens, sinistra manu agiliore ac validiore, articulis ita firmis, vt recens & integrũ malũ digito terebraret, caput pueri, vel etiam adolescentis talitro vulneraret. Colore erat cãdido, capillo ponè occipitium submissiore, vt ceruicẽ etiam obtegeret, quod gentile in illo videbatur, facie honesta, in qua tamẽ crebri & subtiles tumores, cum prægrãdibus oculis, & qui (quod mirũ esset) noctu etiã & in tenebris viderent, sed ad breue, & cùm primùm à somno patuissent. Demum rursus hebescebant. Incedebat ceruice rigida & obstipa, adducto ferè vultu, plerunque tacitus, nullo, aut rarissimo etiam cum proximis sermone, eoq; tardissimo, nec sine molli quadam digitorũ gesticulatione. Valetudine prosperrima vsus est, tempore quidem Principatus pænè toto propè illæsa, quamuis à trigesimo ætatis anno arbitratu eã suo rexerit, sine adiumẽto consilioue Medicorum. Artes liberales vtriusq. generis studiosissimè coluit. In oratione Latina secutus est Coruinum Messalam, quem senem adolescens obseruauerat. Sed affectatione, & morositate nimia obscurabat stylum, vt aliquando ex tẽpore quàm à cura præstantior haberetur. Cõposuit & carmen lyricũ, cuius est titulus, Conquestio de L. Cæsaris morte. Fecit & Græca poëmata, imitatus Euphorionem, & Rhianum & Partheniũ. Sermone Græco quanquã aliàs promtus & facilis, nõ tamen vsquequaque vsus est, abstinuitq. maximè in Senatu. Ob vinolentiam eleganter à iocularibus nominatus est CALDIVS BIBERIVS NERO. Obijt Miseni, in villa Luculliana, octauo & septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo Imperij, XVII. Kal. Aprilis, Cn. Acerronio Proculo, C. Portio Nigro COSS. Morte eius ita lætatus est populus, vt ad primũ nunciũ discurrentes pars TIBERIVM in Tiberim clamitarent, pars terram matrem, Deosq; Manes orarent ne mortuo sedem vllam nisi inter impios darent.

IOANNES BOCHIVS S.P.Q.A. à Secretis.

Claudius egregiè vixit priuatus, & insons
Imperiis, Auguste, tuis, simulatáque virtus
Sub Druso, morumq; diu ceu mixta libido
Incolumi genitrice fuit, post turpia vitæ
Tempora, Telebôum Capreas vbi regna petiuit,
Ingenio, & totas vitiis laxauit habenas.

ME MORTVO TERRA IGNI MISCEATVR.



PRIDIE Kal. Septembris natus eſt C. CÆSAR, Patre ſuo; & C. Fonteio Capitone COSS. vbi natus ſit incertum. Quidam Tiburi, Plinius Secundus in Treueris vico Ambiatino, ſupra Confluentes genitum ſcribit. Suetonius Antij editum credit. Statura fuit eminenti, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima ceruicis, & crurum, & oculis & temporibus concauis, fronte lata & torua, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirſutus cetera. Vultum verò natura horridum ac tetrum etiam ex induſtria efferabat, componens ad ſpeculum in omnem terrorem ac formidinem. Valetudo ei neque corporis, neq. animi conſtitit. Incitabatur inſomnio maximè, neque enim plus quàm tribus nocturnis horis quieſcebat, ac ne his quidem placida quiete, ſed pauida miris rerum imaginibus. Ideoque magna parte noctis, vigiliæ cubandique tædio, nunc foro reſidens, nunc per longiſsimas porticus vagus, inuocare identidem atque exſpectare lucem conſueuerat. E diſciplinis liberalibus minimùm eruditioni, eloquentiæ plurimùm attendit, quantumuis facundus & promtus. Vtique ſi perorandũ in aliquem eſſet, irato & verba, & ſententiæ ſuppetebant, pronunciatio quoque & vox, vt neque eodem loci præ ardore cõſiſteret, & exaudiretur à procùl ſtantibus. Peroraturus ſtricturum ſe lucubrationis ſuæ telum minabatur, lenius comtiuſque ſcribendi genus adeò contemnens, vt Senecam, tum maximè placentem, commiſsiones meras componere, & arenam eſſe ſine calce diceret. Nono Kalend. Februarias, hora quaſi VII. à coniuratis confoſſus, interiit. Obſeruatum eſt Cæſares omnes quibus CAII prænomen fuit ferro periiſſe iam inde ab eo qui Cinnanis temporibus ſit occiſus. Vixit annis XXIX. Imperauit triennio & X. mẽſibus, diebusque VIII.

IOANNES BOCHIVS. S. P. Q. A. à Secretis.

Nec Deus es, nec homo, CAI, ſub principe monſtrum es;
Si qua Dicarchæas iunxiſſe eſt nauibus arces
Euboico laus parta iugo, at ſpolia ampla reportas
Vilibus Oceani lectus in litore conchis:
Vtq; tibi fuluo plauſiſti ſtratus in auro,
Sic quoque læta tuo te ſanguine Roma voluto eſt.

NIHIL MAGIS IN MEA NATVRA PROBO QVAM INVERECVNDIAM.



CLAVDIVS natus est Iulo Antonio, Fabio Africano COSS. Kal. Augustis, Lugduni, eo ipso die, quo primùm ara ibi Augusto dedicata est, appellatúsque TI. CLAVDIVS DRVSVS. Mox fratre maiore in Iuliam familiam adoptato, GERMANICI cognomen assumsit. Auctoritas dignitasq. formæ non defuit vel stanti vel sedenti, ac præcipuè quiescenti; nam & prolixo, neq. exili corpore erat, & specie canitieq. pulcra, opimis ceruicibus. Ceterùm & ingredientem destituebant poplites, minus firmi, & remissè quid, vel seriò agentem multa dehonestabant, risus indecens, ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus, præterea linguæ titubantia, caputque tum semper, tum in quantulocunque actu vel maximè tremulum. Valetudine sicut olim graui, ita Princeps perprospera vsus est, excepto stomachi dolore. Quo se correptum etiam de consciscenda morte cogitasse dixit. Historiam in adolescentia, hortante T. Liuio, Sulpicio verò Flauo etiam adiuuante, scribere aggressus est. In Principatu quoq. & scripsit plurimùm, & assiduè recitauit per lectorem. Initium autem sumpsit historiæ post cædem Cæsaris Dictatoris. Composuit & de vita sua VIII. volumina. Nouas etiam commentus est literas III. Nec minore cura Græca studia secutus est, amorem, præstantiamque linguæ occasione omni professus. Sæpe in Senatu perpetua oratione respondit. Denique & Græcas scripsit historias Tyrrhenicon XX, Carchedoniacon VIII. Excessit III. Idus Octob. Asinio Marcello, Acilio Auiola COSS. LXIIII, ætatis, alij LX. Imperij XIIII, anno. toxico sublatus. Funeratus est solenni Principum pompa, & in numerum Deorum relatus.

IOANNES BOCHIVS. S.P.Q.A. à Secretis.

Militis officio Romanum CLAVDIVS *vno*
Imperium assequitur Cæsar, vix deditus armis:
Sed pugnæ simulacra ciet naualis, & ingens
In pelago molitur opus, qua miscet Etruscas
Aequoreis Tiberinus aquas, at iniqua marito
Agrippina dolis vitam abstulit, æqua Neroni.

NON EODEM MODO A PVLICE ET FERA BELVA CAVERI OPORTET.



NERO natus eſt Antij poſt IX. menſes quàm Tiberius exceſsit, XVIII. Kalend. Ianuarias. Statura fuit pænè iuſta, corpore maculoſo &fœdo, ſufflauo capillo, vultu pulchro magis quàm venuſto, oculis cæſiis, & hebetioribus, ceruice obeſa, ventre proiecto, gracillimis cruribus, valetudine proſpera. nam qui luxuriæ immoderatiſsimæ eſſet, ter omnino per XIIII. annos languit, atque ita vt neque vino, neque conſuetudine reliqua abſtineret. Circa cultum habitumque adeò pudendus, vt comam ſemper in gradus formatam peregrinatione Achaica etiam ponè verticem ſummiſerit, ac plerumq; ſynthesin indutus, ligato circum collum ſudario, prodierit in publicum ſine cinctu, & diſcalceatus. Liberales diſciplinas omnes ferè puer attigit. Sed à Philoſophia eum mater auertit, monens imperaturo contrariam eſſe, à cognitione veterum Oratorū Seneca præceptor, quo diutius in admiratione ſui detineret. Itaque ad poëticam pronus, carmina libenter, ac ſine labore compoſuit. Neque (vt quidam putant) aliena pro ſuis edidit. Venêre in manus Suetonij pugillares libelliq́ue cum quibuſdam notiſsimis verſibus ipſius chirographo ſcriptis, vt facilè appareret non tranſlatos, aut dictante aliquo exceptos, ſed planè quaſi à cogitante atque generante exaratos. Ita multa & deleta & inducta, & ſuperſcripta inerant. Habuit & pingendi fingendiq; maximè non mediocre ſtudiū. Sibi ipſi manū intulit XXX. & ſecundo ætatis anno, Imperij XIIII. die quo quondam Octauiā interemerat, tantumq́; gaudium publicè præbuit, vt plebs pileata tota vrbe diſcurreret. Funeratus eſt impēſa ducētorū milliū ſtragulis albis auro intextis, quibus vſus Kalend. Ianuarij fuerat.

IOANNES BOCHIVS. S.P.Q.A. à Secretis.

Si fidibus tantùm audiſset te Roma canentem
Deteſtande NERO, *citharam plectrumq́. dediſset*
Pro ſceptro, non tanta ſuis incendia tectis,
Non cædes vidiſset humo, nec funere natum
Materno infamem, qui facto haud pulcrius vno
Geſsit, ab immani monſtro dum liberat vrbem.

PRIAMVS MIRVM IN MODVM BEATVS FVIT,
QVOD PATRIAM SIMVL CVM REGNO
PERDITAM VIDIT.



SER. GALBA Imperator M. Valerio Meſſalla, Cn. Lentulo Coss. natus eſt IX. Kalend. Ianuarij, in villa colli ſuppoſita prope Terracinam ſiniſtrorſum Fundos petentibus. Inter liberales diſciplinas attendit Iuri. Dedit & matrimonio operam, verùm amiſſa vxore Lepida, duobuſque ex ea filiis, remanſit in cælibatu. Statura iuſta fuit, capite caluo, oculis cæruleis, adunco naſo, manibus, pedibusque articulari morbo diſtortiſsimis, vt neque calceum perpeti, neque libellos euoluere, aut tenere omnino valeret. Excreuerat etiam in dexteriore latere eius caro, propendebatq. adeò vt ægrè faſcia ſubſtringeretur. Cibi plurimi traditur. Quem tempore hiberno etiam ante lucem capere conſueuerat, inter cœnam verò vſque adeò abundantem, vt congeſtas ſuper manus reliquias circũ ferri iuberet, ſpargique ad pedes ſtantibus. Ex inſidiis occiſus eſt tertio & ſeptuageſimo ætatis anno, Imperij menſe ſeptimo. Senatus vt primùm licitum fuit ſtatuam ei decreuerat roſtratæ columnæ ſuperſtantem in parte fori, qua trucidatus eſt, ſed decretum Veſpaſianus aboleuit, percuſſores ſibi ex Hiſpania in Iudæam ſubmiſiſſe opinatus.

IOANNES BOCHIVS. S.P.Q.A. à Secretis.

Nobilitate potens, alienis clarior armis
Imperio quàm GALBA *ſuo, quo culmine dignus*
Cunctorum aſſenſu eſt habitus: ſi nomen adeptus
Nunquam Cæſareum, maieſtatemq. fuiſſet,
Nec caluum inuidiæ caput obieciſſet, & hoſti
Grata ſua nunquam ſpectacula morte dediſſet.

DISCE MILES MILITARE, ADEST GALBA NON GETVLICVS.



OTHO Imperator IIII. Kalend. Maij natus eſt, Camillo Arruntio, Domitio Aenobarbo COSS. Fuiſſe traditur modicæ ſtaturæ, & malè pedatus ſcambusq́;, mūditiarū verò pœnè muliebrium, vulſo corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorū adaptato & annexo, vt nemo dignoſceret. Quin & faciem quotidiè raſitare, ac pane madido linere conſuetum, idq́. inſtituiſſe à prima lanugine, ne barbatus vnquam eſſet. A prima adoleſcentia prodigus, ac procax, adeò vt ſæpè flagris obiurgaretur à patre. Ferebatur & vagari noctibus ſolitus, atque inualidum quemque obuiorum, vel potulentum corripere, ac diſtento ſago impoſitum in ſublime iactare. Apud Bebriacum victus, arripuit duos pugiones, & explorata vtriuſque acie, cùm alterū puluino ſubdidiſſet, foribus adopertis, arctiſsimo ſomno quieuit & circa lucem demum expergefactus, vno ſe traiecit ictu infra læuam papillam, irrumpentibusq́; ad primum gemitū, modò celans, modò detegēs plagam, exanimatus eſt, & celeriter (ita præceperat) funeratus, XXXVIII. ætatis anno & XCV. Imperij die. Multi præſentium militum cum plurimo fletu manus, ac pedes iacentis exoſculati, fortiſsimum virum, vnicū Imperatorem prædicantes, ibidem ſtatim, nec procul à rogo vim ſuæ vitæ attulerunt. Multi & abſentium accepto nuncio præ dolore armis inter ſe ad internecionem concurrerunt.

BALTHASAR MORETVS IOANNIS F.

Mollis OTHO, *ac ſummi nimiùm feſtinus honoris,*
Munera thuricremis cùm Galba imponeret aris,
Cogitat infandas cædes, & ſanguine gaudet
Cæſareo temerare manus: regno inde potitus
Nil dignum peragit. propriâ fit morte celebris,
Atq́; trahit ſecum ſocias in fata cohortes.

MVLTO MELIVS IVSTIVSQVE EST, VNVM PRO MVLTIS, QVAM PRO VNO MVLTOS INTERIRE.



A. VITELLIVS L. F. Imp. natus eſt VIII. Kalend. Octobris, vel (vt quidam) VII. Id. Septembris, Druſo Cæſare, Norbano Flacco COSS. Genituram eius, prædictam à Mathematicis ita parentes exhorruerunt, vt pater magnoperè ſemper contenderit ne qua ei prouincia viuo ſe committeretur, mater & miſſum ad legiones, & appellatum Imperatorem pro afflicto ſtatim lamentata ſit. Erat in eo enormis proceritas, facies rubida, plerumque ex vinolentia, venter obeſus, alterum femur ſubdebile, impulſu olim quadrigæ cùm auriganti Caio miniſtratorem exhiberet. Qualis illi vita, talis illi finis. Flauiani in vrbem irruperunt, cunctaque abdita ſedulò rimantes, tandem VITELLIVM inuentum è latebra traxerunt. Inter magna rerum verborumque ludibria per totum Viæ Sacræ ſpatium, reducto coma capite, (ceu noxij ſolent) atque etiam mento mucrone gladij ſubiecto, vt viſendam præberet faciem, néue ſubmitteret, quibuſdam ſtercore & cœno inceſſentibus, aliis incendiarium, & patinarium vociferantibus, tandem apud Gemonias minutiſsimis ictibus excarnificatus atque confectus eſt, & inde vnco tractus in Tiberim, poſtquam VIII. menſes Imperio præfuiſſet, ætatis LVII.

BALTHASAR MORETVS IOANNIS F.

Ingluuie fœdâ infamis, nec digne, VITELLI,
Imperio, quæ tanta tibi dementia ſuadet
Immeritos vexare viros & tollere ferro?
En tibi nullus honos, iam te Romana propago
Haud ſufferre valet; laqueos enſemq́ rependit,
Et te confectum condit Tiberinus arenâ.

OPTIME OLET OCCISVS HOSTIS, SED MELIVS CIVIS.



VESPASIANVS natus eſt in Sabinis vltra Reatē, vico modico cui nomen eſt Phalacrine, xv. Kalēd. Decemb. veſperi, Q. Sulpicio Camerino, C. Poppæo Sabino COSS. quinquennio antequam Auguſtus excederet. Statura fuit quadrata, cōpactis firmisq; mēbris, vultu veluti nitentis. Vnde quidam vrbanorum non infacetè. ſiquidē petenti vt & in ſe aliquid diceret, Dicam (inquit) cùm ventrē exonerare deſieris. Valetudine proſpera vſus eſt, quamuis ad tuendam eam nihil amplius quàm fauces, ceteraq. membra ſibimet ad numerum in ſphæriſterio defricaret, mediamq. vnius diei per ſingulos menſes interponeret. Ordinem vitæ fere hunc tenuit. In principatu maturius ſemper ac de nocte vigilabat, deinde perlectis epiſtolis, officiorumq. omniū breuiariis, amicos admittebat. Ac dum ſalutabatur & calceabat ipſe ſeſe, & amiciebat. Et ſuper cænam autem & ſemper aliàs cum amicis, multa ioco tranſigebat. erat enim dicacitatis plurimæ, & ſic ſcurrilis ac ſordidæ, vt ne prætextatis quidem verbis abſtineret. Vtebatur & verſibus Græcis tempeſtiuè ſatis, & de quodam proceræ ſtaturæ, improbiuſque nato,

Μακρὰ βιβας, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.

Ac ne in metu quidem ac periculo mortis extremo abſtinuit iocis. Tandem cùm ſuper vrgentem valetudinē creberrimo frigidæ aquæ vſu & inteſtina vitiaſsit, aluo repentè vſque ad defectionem ſoluta, Imperatorem ait ſtantem mori oportere. Dumq; conſurgit, ac nititur, inter manus ſubleuantium exſtinctus eſt VIII. Kal. Iulij, annum gerens ætatis LXIX. ſuperque menſem, ac diem ſeptimum.

BALTHASAR MORETVS IOANNIS F.

Atra lues, funeſta lues, cùm regna teneret,
Flauia progenies, pietate inſignis & armis
VESPASIANVS adeſt, patriæ ſuccurrere promptus
Labenti, cæſis Solymis, hic ille triumphum
Egit. magnificis fundauit honoribus vrbem,
Officióque ſuo moriens vix deſinit vti.

BONVS ODOR LVCRI EX RE QVALIBET.



TITVS, cognomine paterno, amor ac deliciæ generis humani, natus est III. Kal. Ianuar. insigni anno Caiana nece, prope Septizoniũ, sordidis ædibus, cubiculo verò perparuo & obscuro. Educatus in aula cum Britannico simul, ac paribus disciplinis, & apud eosdem magistros institutus. Quo quidẽ tempore aiunt metoposcopũ, à Narcisso, Claudii liberto, adhibitum vt Britannicum inspiceret, constantissimè affirmasse illũ quidem nullo modo, ceterùm TITVM, qui tunc propè astabat, vtiq; imperaturum. In puero statim corporis animique dotes exsplenduerunt, magis ac magis deinceps per ætatis gradus, forma egregia, & cui non minus auctoritatis inesset quàm gratiæ, præcipuum robur, quamquam neq; procera statura, & ventre paullo proiectiore, memoria singularis, docilitas ad omnes ferè tum belli, tum pacis artes. Armorum & equitãdi peritissimus, Latinæ, Græcæq; linguæ vel in orando, vel in fingendis poëmatibus promptus & facilis ad extemporalitatem vsque. Sed ne Musicæ quidem rudis, vt qui cantaret & psalleret iucundè, scienterque. E pluribus comperi notis quoq. excipere velocissimè solitum, cum amanuensibus suis per ludum iocumque certantem, imitari chirographa quæcunq; vidisset, ac profiteri sæpe se maximum falsarium esse potuisse. Excessit in eadem qua pater villa, Idib. Septemb. post biennium, ac menses duos, diesque XX. quàm successerat patri, altero & quadragesimo ætatis anno. Huius mors, credi vix potest, quantum luctus Vrbi, prouinciisque intulerit, adeò vt eum delicias publicas, sicut diximus, appellantes, quasi perpetuo custode orbatum terrarũ orbem deflerent.

BALTHASAR MORETVS IOANNIS F.

Deliciæ humani generis TITVS, *orbis amores,*
Relligionis amans, meritæ nec laudis auarus,
Funditus euertit (nam sic pia Fata ferebant)
Vrbem præclaram Solymes, nec claruit armis
Tantùm, ast innumeras pacis cognouit & artes.
Felix Roma fores, celeri ni morte perisset.

NEMO ME INIVRIA AFFICERE, AVT CONTVMELIA POTEST: QVIA NIHIL AGO QVOD ALIOS LAEDERE POSSET.



DOMITIANVS natus est IX. Kal. Nouemb. patre COS. designato, inituroq; mense insequēti honorem, regione Vrbis sexta, ad Malum Punicū, domo quam postea in templum gentis FLAVIAE cōuertit. Statura fuit procera, vultu modesto, ruborisque pleno, grandibus oculis, verùm acie hebetiore, præterea pulcher ac decēs, maximè in iuuenta, & quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos restrictiores habebat. Postea caluitio quoq; deformis, & obesitate ventris, & crurum gracilitate, quæ tamen ei valetudine longa remacruerant. Commendari se verecundia oris adeò sentiebat, vt apud Senatū sic quōdam iactauerit, *Vsque adhuc certè animum meum probastis, & vultum.* Caluitio ita offendebatur, vt in contumeliā suam traheret si cui alii ioco, vel iurgio obiectaretur, quāuis libello quem De cura capillorum ad amicum edidit, hoc etiam, illum simul seque consolans, inseruerit, ουχ ὁράας οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε; *Eadem me tamen manent capillorum fata, & forti animo fero comam in adolescentia senescentem. Scias nec gratius quidquam decore, nec breuius.* Liberalia studia in initio Imperij neglexit. Quanquam bibliothecas incendio absumptas impensissimè reparare curasset, exemplaribus vndiq; petitis, missisque Alexandriā qui describerent, emēdarentq;. nunquā tamē aut historiæ, carminibusue cognoscēdis operā vllam, aut stylo vel necessario dedit. Præter cōmentarios & acta Tiberij Cæsaris nihil lectitabat. Cunctis terribilis & inuisus, tandē oppressus est in cubiculo, amicorū libertorumq; intimorum cōspiratione simul & vxoris acceptis vulneribus septē, XIIIJ. Kal. Octobris, anno ætatis XLV. Imperij XV. D.V.

BALTHASAR MORETVS IOANNIS F.

DOMITIANE, *tuæ labes turpissima gentis,*
Aemula famoso cur fingis sceptra Neroni?
Principio arrisit probitas, simulataq; virtus,
Mox ruis in peius contempto numine Diuûm.
At quoniam insontes nullâ ratione trucidas,
Te meritò punire tui coguntur amici.

PAVCIS NOTVM EST, QVAM MISERA SIT PRINCIPVM CONDITIO: QVIA TYRANNIDIS FALSA SVSPITIONE TVM DEMVM LIBERANTVR CVM AGVNT ANIMAM.



D. Magni Ausonij Burdig. Viri consularis tetrasticha in Cæsares Romanos.

IVLIVS CÆSAR.

Imperium, binis fuerat solemne quod olim
Consulibus Cæsar Iulius obtinuit.
Sed breue ius regni. sola trieteride gestum.
Perculit armatæ factio sæua togæ.

OCTAVIANVS AVGVSTVS.

Vltor successorq́ de hinc Octauius, idem
Cæsar, & Augusti nomine nobilior.
Longæua, & nunquam dubiis violata potestas,
In terris positum credidit esse Deum.

TIBERIVS NERO.

Prænomen Tiberi nactus Nero, prima iuuentæ
Tempora laudato gessit in imperio.
Frustrà dehinc solo Caprearum clausus in antro
Quæ prodit vitiis, credit operta locis.

CAIVS CALIGVLA.

Post hunc castrensis caligæ cognomine Cæsar
Successit sæuo sæuior ingenio.
Cædibus, incestisq́ de hinc maculosus, & omni
Crimine pollutum qui superauit auum.

CLAVDIVS CÆSAR.

Claudius irrisæ priuato in tempore vitæ,
In regno specimen prodidit ingenij.
Libertina tamen, nuptarum & crimina passus,
Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

NERO.

Aeneadûm generis qui sextus, & vltimus hæres
Polluit, & clausit Iulia sacra Nero.
Nomina quot pietas, tot habet quoq́ crimina vitæ:
Disce ex Tranquillo, quæ meminisse piget.

SER-

SERVIVS GALBA.

Spem frustrate senex, priuatus sceptra mereri
Visus es, imperio proditus inferior.
Fama tibi melior iuueni: sed iustior ordo est:
Complacuisse dehinc, displicuisse priùs.

MARCVS OTHO.

AEmula polluto gesturus sceptra Neroni:
Obruitur celeris raptus Otho exitio.
Fine tamen laudandus erit: qui morte decora
Hoc solum fecit nobile, quod periјt.

AVLVS VITELLIVS.

Vitæ sors, mors fœda tibi, nec digne Vitelli,
Qui fieres Cæsar. sic sibi fata placent.
Vmbra tamen breuis imperiј. quia præmia regni
Sæpe indignus adit. non nisi dignus habet.

DIVVS VESPASIANVS.

Quærendi attentus, moderato commodus vsu,
Auget. nec reprimit Vespasianus opes:
Olim qui dubiam priuato in tempore famam,
Par aliis princeps, transtulit in melius.

TITVS VESPASIANVS.

Felix imperio, felix breuitate regendi,
Expers ciuilis sanguinis, orbis amor.
Vnum dixisti moriens te crimen habere.
Sed nulli de te, non tibi credidimus.

DOMITIANVS.

Hactenus edideras dominos gens Flauia iustos:
Cur duo quæ dederunt tertius eripuit?
Vix tanti est habuisse illos. quia dona bonorum
Sunt breuia. æternùm, quæ nocuêre dolent.

FINIS.

APPROBATIO.


Hæc eadem approbatione transiliunt qua ante lecta per R. D. Patrem Andream Scottum Societatis Iesu Presbijterum. 2. Septemb. Anno 1602.

Egbertus Spitholdius S. T. L.
& Ecclesiæ Antuerpiensis
Plebanus.

ANTVERPIÆ,

TYPIS ROBERTI BRVNEAV.

ANNO M. DCIII.



Ic/-

If/l

William Horatio Crawford.
LAKELANDS.
CORK.



CP-98

91

